

dicant, et ad vnum diem, per ipsos prefigendum, vniuersitatem vestram, nemine penitus excepto personaliter conuocent. Requirimus igitur fidelitates vestras et mandamus vobis et vnicuique vestrum harum serie strictissime, quatenus habita presencium noticia, iuxta requisicionem et informacionem prefatorum Johannis Thuz de Lak et Ladislai Bani, ad diem et locum, quem ipsi vobis prefixerint, conuenire, et Congregatione habita, vos ipsi vnumquemque tam Magnatem quam Nobilem cuiusuis status et condicionis possessionatum hominem connumerare, et quot quisque homines ad defensionem et conseruationem eius Regni nostri pro facultate disponere possit, fideliter computare et estimare debeatis, decernatis quoque sub pena debita, vt iuxta connumeracionem et disposicionem vestram eo numero, quo vos in ea Congregatione indixeritis, quotiens pro defensione eius Regni nostri opportunum fuerit, vnusquisque personaliter insurgere debeat et teneatur. Volumus autem, vt in eadem Congregatione vestra pari voluntate et communi consilio penes Banum nostrum vnum eligatis Capitaneum specialem, qui vobis magis idoneus videbitur; qui vna cum ipso Bano nostro defensioni vestre assidue inuigilare, et quotiens opportunum foret, iuxta disposicionem vestram omnes ad insurgendum compellere, vosque et Regnum illud ab hostium incursionibus precauere debeat et defensare. Interea vero, vt vos et vniuersi Regnicole eius Regni nostri vires eo facilius resumere et defensioni communi eo feruentius intendere possitis et valeant, id ex speciali gracia nostra duximus vobis annuendum, vt hinc ad quatuor annorum spacium ab omni solucione taxe exempti sitis et penitus supportati. Datum in ciuitate nostra Corneuburgh in festo beati Luce Euangeliste, Anno Domini Millesimoagesimo septimo, Regnorum nostrorum Hungarie etc. anno vigesimo, Bohemie ve.....

(*Sigillum Regium ceræ rubræ impressum.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 45.

CXLIV.

Anno 1468. Sabbatho prox. post festum S. Francisci Confessoris. Posonii.

Mathias Rex omnibus Regni sui Slavoniae possessionatis hominibus praecipit, ut decimas, Episcopo Zagrabiensi debitas, praestent.

Commissio propria Domini Regis.

Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Fidelibus nostris vniuersis et singulis Nobilibus et alterius cuiusuis status possessionatis